S. BONAVENTURA

DOCTOR SERAPHICUS

DISCIPULORUM S. AUGUSTINI

ALTER PRINCEPS

P. DOMINICUS FACIN A BIENO
LECTOR GENERALIS S. THEOLOGIAE
AC
ACTUALIS MINISTER PROVINCIALIS ALMAE PROVINCIAE VENETAE

THEOLOGICAL
LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
NO. 12897

#14,058

217.32
F141

S. BONAVENTURA

DOCTOR SERAPHICUS

DISCIPULORUM S. AUGUSTINI

PRINCEPS

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

VENETIIS
TYPIS AEMILIANIS
1904.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sbonaventuradoct0000pdom

REVERENDISSIMO IN XTO PATRI

JOANNI MARIÆ SANTARELLI

ORDINIS MINORUM ALUMNO

SERAPHICÆ PROVINCIÆ LECTORI THEOLOGO

JAM SECRETARIO AC DEFINITORI GENERALI

QUARUMDAM ORDINIS PROVINCIARUM

GENERALI COMMISSARIO AC VISITATORI

JAMQUE NONNULLARUM ITALIÆ DIOECESIUM

VISITATORI APOSTOLICO

MINISTER ALMÆ PROVINCIÆ VENETÆ

DE QUA NUPER FUIT OPTIME MERITUS

IPSEMET PERILLUSTRIS PATER

UTPOTE VISITATOR ET PRÆSES GENERALIS

LÆTI GRATIQUE ANIMI ERGO

O. D. C.

Rev.me Pater

Dum mente recolo, quam bene meruerit Paternitas Tua Rev.ma de hac alma nostra Veneta Provincia, in qua tanta sapientia ac solertia Generalis Visitatoris *munus exercuisti, oblivisci nequeo, quantam Tibi debeam animi gratitudinem. Ac, dum recogito quonam pacto pandere Tibi valeam mei grati animi sensus, illud mihi memoriae occurrit* S. Bonaventurae *effatum:* " *Ad hoc, quod aliquis sit* vere gratus, *duo requiruntur, scilicet quod pro loco et tempore sit* memor *beneficiorum ad gratias agendum, et quod sit* promptus *ad obsequendum et ad reddendum bonum pro bono* „ *(4. Sent. d. 22. dub. 3).*

Idcirco hanc opellam (quam in Conventu Viennensi ad meorum discipulorum solatium, qui in illius almae S. Bernardini Provinciae spem optimam succrescunt, conscripseram) Tibi, Reverendissime Pater, dicandam duxi, ut hac capta occasione, testimonium Tibi exhiberem, quod ostenderet, me semper memorem *et gratum iri beneficiorum a Te nobis collatorum, meque semper* promptum *existere ad Te obsequendum, Tibique, si quo modo valuero, bonum pro bono reddendum.*

Et ad hoc quidem perficiendum, non absque consilio, hanc nactus sum occasionem. Si enim hac solem-

nissima die, qua Paternitas Tua Reverendissima ad Episcopalem evehitur dignitatem, totus exultat Ordo Seraphicus, praecipuo modo exultare debet haec alma Provincia Veneta, quam Tu tot replevisti beneficiis, atque parvitas mea, cum ego nonnisi Te auctore praecipuo eidem Provinciae Praeses constitutus fuerim.

Dignetur igitur Paternitas Tua Rev.ma hoc mei grati animi testimonium accipere, atque mihi totique Provinciae meae Episcopalem benedictionem impartiri.

Paternitatis Tuae Reverendissimae

Venetiis, ad S. Francisci a Vinea.

addictissimus Filius
P. Dominicus Facin
Minister Provincialis.

APPROBATIO CENSORUM

Perlegimus cum attentione opusculum, cui titulus:

S. BONAVENTURA

DOCTOR SERAPHICUS

DISCIPULORUM S. AUGUSTINI

ALTER PRINCEPS

Ad. *R. P. Dominici Facin* Ministri Provincialis Provinciae Venetae et nihil invenimus in eo quod sit contrarium sanae doctrinae, sed potius illud reperimus refertum scientia et copiosa eruditione, et ubique redundantem amore erga Seraph. Doctorem, cuius praecipuam laudem exponit.

Ideo judicamus pergratum imo et profuturum fore omnibus studiosis, sed praesertim alumnis nostri Ordinis, qui S. Bonaventuram ut maximum inter suos magistros venerantur et sequuntur, et ideo illud typis posse mandari.

Viennae, die 14. Jul. 1904.

P. PETRUS NOVAK
Lector Jubilatus s. Theol. Provinciae Viennensis.

Venetiis, die 27. Oct. 1904.

P. JULIUS FERRARI
Lector Philosophiae ac Theologiae
Provinciae Venetae.

consilium, opusculum scilicet conscribendi, quod pari tempore in amborum Doctorum laudem cederet.

En paucis verbis origo ac ratio istius opellae, cui titulus est: *S. Bonaventura alter discipulorum S. Augustini princeps.* In hoc enim opuscolo id ostendere nisus sum, S. Bonaventuram scilicet, omnia munera veri discipuli erga S. Augustinum functum fuisse, ita ut ipse non modo *alter Scholasticorum princeps* cum S. Thoma dicendus sit, sed etiam cum eodem *alter discipulorum S. Augustini princeps* iure meritoque sit habendus.

In hoc opuscolo conscribendo usus sum praesertim his operibus: *Opera omnia S. Bonaventurae* (nova editio) — *Scholia et animadversiones PP. Quarachianorum* ad eadem Opera S. Bonaventurae — *Opera omnia S. Augustini* (editio Mauriniana) — *Disquisitio historico-theologica in S. Bonaventuram* P. Ludovici a Castroplanio O. F. M. — *Institutiones Patrologiae,* Bernardi Jungmann (altera editio) etc.

Dum autem hanc opellam iudicio lectorum committo, meum faciam illud S. Augustini effatum (de Trinitate III, n. 1): " Non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desidero „. — " Magis amabo inspici a rectis quam timebo morderi a perversis ..... magisque optabo a quolibet reprehendi, quam sive ab errante sive ab adulante laudari „ (idem II, de Trinit. in prœmio). — Et illud quoque S. Bonaventurae effatum (2. d. 44. dub. 3) meum faciam, nempe: " Rogo, ut si quis ..... aliquid in hoc opusculo invenerit approbatione dignum, gratias agat Deo, largitori bonorum. In aliis vero locis, ubi invenerit vel falsum, vel dubium, vel obscurum, scribentis insufficientiae benigne indulgeat „.

Viennae, die 13 Junii 1904.

in Festo S. Antonii Patavini primi Magistri Fr. Min.

Non inepte in *dissertatione* PP. Quaracchianorum *de Scriptis S. Bonaventurae* [1]) (p. 3. c. 1. n. 2. in vol. 10. contenta) scriptum legitur: " (S. Bonaventura) fidelis S. Augustini assecla semper mansit „. — Immo iure optimo asserere potuissent, ipsum S. Bonaventuram *primum* post eius amicum S. Thomam [2]) inter discipulos S. Augustini tenere locum. — Omnia enim veri discipuli munia tanta fidelitate ac perfectione a divo Bonaventura erga S. Augustinum adimpleta fuere, ut excellentiori vel pari modo vix ab aliquo alio adimpleta fuisse fas sit reperire.

Praecipua veri discipuli munia erga magistrum haec sunt: — *a)* Discipulum oportet magnam ostendere reverentiam ac praedilectionem erga magistrum suum. — *b)* Discipuli est, a falsis doctrinis, ei iniuste impositis, magistrum defendere, eiusque doctrinas, si quae vel obscurae sint, vel minus recte sonare videantur benigne interpretari ac ingeniose exponere, sicque prohibere, ne ab aliis in peiorem partem trahantur. — *c)* Denique fidelis discipulus, in quantum fieri potest, magistri doctrinis in

[1]) Haec *Dissertatio,* sicut et alia subsequens *de vita S. Bonav.,* auctorem habet Patrem *Ignatium Jeiler.* Hae duae *dissertationes* habendae sunt non modo qua fulgida quaedam aureola, qua totum illud insigne ac monumentale novae bonaventurianae Editionis opus gloriose coronatur, sed etiam qua pretiosus scientiae ac eruditionis thesaurus, nec non qua splendidissimum reverentiae amorisque pignus auctoris Seraphico Doctori exhibitum, pro quo ipse auctor a multis jam annis non modo studia omnia omnesque labores sed et vitam ipsam plene insumsit, in paranda scilicet illustrandaque nova editione Oper. S. Bonav. Qui propterea jure ac merito speciali encomio a summ. Pont. Leone XIII. (Ep. 1885. die 13. Dec.) et Pio X. (Epist. 11. Apr. h. a.) dignus habitus est.

[2]) S. Thomas sicut primum locum tenet inter principes theologiae scholasticae, sic etiam communi existimatione primum occupat locum inter discipulos S. Augustini.

omnibus adhaeret; si vero aliquando contingat, ut a magistri sententia dissentire opporteat, id ipse, salva semper debita magistro reverentia, facit. — Haec omnia munia excellentissimo modo a S. Bonaventura erga divum Augustinum adimpleta fuisse, luce meridiana clarius patet ex dicendis.

CAPUT I.

Reverentia ac praedilectio summa Seraphici Doctoris erga S. Augustinum.

Quanta reverentia, quantaque praedilectione Seraphicus Doctor divum Augustinum prosecutus fuerit, meliori modo manifestum fieri nequit, quam ex consideratione horum trium, nempe: *a) titulorum,* quibus eum laudat atque extollit — *b)* summi valoris, quem eius auctoritati tribuit — *c)* frequentissimi usus eum nominandi eiusque auctoritatem citandi.

§ 1.

Tituli honorifici, quibus S. Bonaventura divum Augustinum laudat atque extollit.

Antiquitus, et apud Scholasticos praesertim, usus invaluit, auctores, non modo profanos, sed et sacros nullo apposito honoris titulo citandi. Hoc observari licet etiam in modo constanter servato citandi *S. Augustini* auctoritatem. — Formulae enim apud Scholasticos et etiam apud S. Thomam consuetae, quibus *divus Augustinus* citatur eiusque auctoritas in medium profertur, hae sunt: — *Dicit Augustinus — Augustinus exponit — narrat Augustinus — ita Augustinus — haec Augustinus* etc. Ex hac consuetudine et, ut ita dicam, Scholasticorum lege factum est, ut ipsum quoque venerabile et magnum S. Augustini nomen in medium semper proferrent auctores, relicto quocumque honoris titulo,

quo suam ergatantum S. Patrem et Ecclesiae Doctorem devotionem ac reverentiam exprimerent.

Ab hac Scholasticorum lege, quamvis non penitus se exemit S. Bonaventura. — Ipse enim, etsi saepe saepius communem usum secutus, illas duras formulas in citando S. Augustino adhibeat, multoties tamen, suam secutus devotionem suosque reverentiae sensus obsecundans, quibus se totum erga tantum Doctorem deditum ac raptum sentiebat, titulis nobilissimis ac varietate et excellentia praestantissimis appositis, nomen S. Augustini profert atque celebrat. — Huiusmodi honorifici tituli sunt sequentes:

1. **Sanctus** *Augustinus.* — Isto titulo laudatur S. Augustinus a Seraphico *quater* in opere *Expositio super Reg. Fr. Min.;* nempe *a) bis* in c. 2. n. 23., ubi leguntur haec verba: " Turpe est autem **Sancto** (Augustino) falsum imponere et pro defensione mendacii in apocryphis gloriari; quamquam, si **sanctus** Augustinus penitus hoc sensisset, quod absit etc. „ — *b)* ibidem c. 4. n. 20.: " Cum sint divitiae caelestes et terrenae, pecuniae nomen tantummodo terram sonat, sicut docet **sanctus** Augustinus „ — *c)* ibidem c. 5. n. 3.: " Ut **sanctus** docet Augustinus libro de *Opere monachorum,* quatuor generibus hominum licet de Evangelio vivere etc.

2. **Beatus** *Augustinus.* — Hoc titulo, fortassis quia dulcius sapit et suavius sonat, frequentius a Seraphico adhibetur et fere in omnibus suis operibus. Iste titulus occurrit saltem *octuodecies*, nempe: 2. *Sent.* d. 7. dub. 4. — *ibidem,* d. 10. a. 2. q. 2. in corp. — *ibidem,* d. 13. dub. 3. — *ibidem,* d. 22. a. 1. q. 2. in corp. — *ibidem,* d. 34. a. 2. q. 2. in corp. — 3. *Sent.* d. 4. a. un. q. 1.

in fine corp. — 4. Sent. d. 43. a. 1. q. 4. in corp. — Tom. V. *De perfect. Evang.* q. 2. a. 2. ad 9. — *Brevil*, p. 2. c. 2. in fine et, p. 3. c. 5. — Tom. VI. *Comment. in Joan.* c. 1. n. 42. — Tom. VII. *Comment. in Luc.* c. 17. n. 35. — Tom. VIII. *De Perfectione vitae ad Sorores* c. 2. n. 4. — *Epist. de Imitatione Christi.* n. 1. — Tom. IX. *Sermo* 1. Dom. 3. p. Epiph. — Brevitatis gratia unum tantum proferam textum, nempe ex 2. Sent. d. 10. a. 2. q. 1. in corp. ubi legitur: " Qui hoc posuerunt, non intellexerunt arbitrii libertatem neque animae dignitatem neque beatitudinis sublimitatem; quae si intellexissent, sicut **beatus** Augustinus, egregius doctor, posuit, animam immediate a Deo compleri et moveri et beatificari dixissent, ut **beatus** Augustinus. Unde **beatus** Augustinus ubicumque de mente loquitur istum errorem extirpat etc.

3. **Pius Doctor** *Augustinus.* — Iste titulus *semel* adhibetur a Seraphico, nempe in *Apologia Pauperum* c. 10. n. 5., ubi dicitur: " Et quod hic fuerit intellectus **pii doctoris** Augustini, manifeste colligitur ex verbis ipsius etc.

4. *Augustinus* **vir prudens ingenio.** — Hoc titulo laudatur S. Augustinus *semel*, nempe in 2. *Sent.* d. 34. a. 2. q. 2. in corp., ubi Seraphicus ait: " . . . sic beatus Augustinus, tanquam **vir prudens ingenio,** in hac instantia manifestat etc.

5. **Egregius doctor** Augustinus. — Ita praedicatur S. Augustinus a Seraphico saltem *quinquies*, nempe: *a)* 1. *Sent.* d. 46. a. un. q. 1. in corp., ubi dicitur: " Et **egregius doctor** Augustinus duplicem facit vim in

modo distribuendi etc. — *b)* 2. *Sent.* d. 10 a. 2. q. 1. in corp. ubi legitur: "... quae si intellexissent, sicut beatus Augustinus, **egregius doctor,** posuit etc. — *c)* 2. *Sent.* d. 17. a. 1. q. 3. in corp., ubi dicitur: "... quamvis circa istam quaestionem videatur dubitare **egregius doctor** Augustinus, quia utraque pars videtur posse sustineri etc. — *d)* 4. *Sent.* d. 21. p. 1. a. 2. q. 2. in corp., ubi dicitur: "Sed quamvis **egregius doctor** Augustinus visus fuerit dubitare, alii tamen doctores etc. — *e)* 4. *Sent* d. 3. p. 2. a. 3. q. 2. in corp., ubi dicitur: "Et quia ipse Augustinus **doctor egregius** verbis Hieronymi addit etc.

6. **Altissimus metaphysicus** *Augustinus.* — Ita celebratur S. Augustinus *semel,* nempe: 2. *Sent.* d. 3. p. 1. a. 1. q. 2. in fine corp., ubi Seraphicus ait: "Concedendae igitur sunt rationes probantes materiam eandem esse *per essentiam* in spiritualibus et corporalibus [1]), sicut manifeste innuit Augustinus in libro *de Mirabilibus sacrae Scripturae* [2]), qui fuit **altissimus metaphysicus.**

---

[1]) Iste modus loquendi *de materia* et de *compositione materiae et formae* in spiritualibus, in Angelis scilicet et in animabus rationalibus a Seraphico adhibitus in 2. *Sent.* d. 3. a. 1. q. 1. et 2., nec non 2. *Sent.* d. 17. a. 1. q. 2., quamvis sub aliquo sensu subtiliori metaphysico concipi possit et admitti, quin propterea *pura spiritualitas* angeli et animae laedatur; tamen, praeterquam obscurus valde, est iam etiam prorsus obsoletus et ex omnibus scholis expulsus. Ad rem cfr. PP. Quaracchianos 2. Sent. pag. 92. *Scholion — Dissertatio* de Studio Bonaventuriano a me habita Viennae in Austria et typis edita a. 1902, pag. 12, nota.

[2]) Hic liber non est S. Augustini, cfr. infra *Tabula* II, opera *dubia* n. 1. *nota* 2.

7. **Praecipuus veritatis amator** *Augustinus.* — Hanc eximiam laudem S. Augustino tribuit Seraphicus *semel,* nempe in 3. *Sent.* d. 38. a. un. q. 4. in corp. ubi dicitur: " Et hoc videtur sensisse Augustinus, qui fuit **praecipuus veritatis amator** etc.

8. *Augustinus* **praecipuus expositor totius Scripturae**. Hoc titulo laudatur S. Augustinus *semel,* nempe in tom. V. Sermo 4. n. 19., ubi Seraphicus ait: " Uterque autem sermo, scilicet sapientiae et scientiae, per Spiritum sanctum datus est Augustino, tamquam **praecipuo expositori totius Scripturae** [1]), satis excellenter, sicut ex scriptis eius apparet „.

9. **Subtilissimus fidei defensor** *Augustinus.* — Hoc eximium praeconium tribuitur S. Augustino *semel,* nempe: 3. *Sent.* d. 6. a. 1. q. 3. in corp., ubi Seraphicus dicit: " Et ideo Apostolus, prudentissimus fidei praedicator, et Augustinus, **subtilissimus fidei defensor,** insinuant, aliquo modo Christum dici hominem etc.

10. *Augustinus* **praecipuus doctor latinus.** — S. Augustinus hoc praeclaro titulo extollitur *semel,* nempe: 3. *Sent.* d. 3. p. 2. a. 2. q. 1. in corp., ubi hoc legitur:

---

[1]) Ne quis hoc dictum esse exhistimet cum derogatione honoris S. Hieronymo debiti, qui iure meritoque in exponendis sacris Scripturis *Doctor maximus* salutatur, faveat notare id, quod sapienter animadvertit ipse Seraphicus in *Exposit Reg. Fr. Min.* c. 2. n. 23., nempe: " Quamvis in elucidatione problematum plus stetur Augustino quam Hieronymo, in expositione tamen textus prae ceteris statur sententiae Hieronymi traslatoris, qui in diversis linguis intellectum prae coeteris etiam doctoribus didicit Scripturarum „.

" Damascenus, doctor Graecus, et *Augustinus,* **praecipuus doctor latinus,** in hoc consentiunt, quod caro Christi ante unionem cum Verbo indistincta erat a reliqua Virginis carne etc.

Immo non tantum laudatur Augustinus tanquam praecipuus doctor inter latinos, sed etiam extollitur ipse a S. Bonaventura tanquam praecipuus doctor *absolutae* inter omnes Patres et Ecclesiae Doctores, sicut patet ex titulo sequenti.

11. *Augustinus* **Doctor praecipuus.** — Iste titulus *absolutae* praecellentiae *bis* repetitur a Seraphico, nempe: *a)* 4. *Sent.* d. 44. p. 2. a. 2. q. 1. in corp., ubi ait: " Quamvis ad hanc quaestionem videatur temerarium respondere, quia Scriptura eam non determinat, nec **doctor praecipuus** Augustinus explicat, etc. — *b) Brevil.* p. 3. c. 8. in fine, ubi ait: " Et sic patet, quod in perpetratione omnis peccati actualis fit aliqualis imitatio primi peccati, secundum explanationem **Doctoris praecipui**, scilicet Augustini.

Istum titulum *absolutae* praeexcellentiae iure meritoque S. Augustino competere, clarius resultat ex sequenti textu, quo S. Bonaventura excellentiam ac universalitatem doctrinae S. Augustini miro modo extollit. Ait enim Seraphicus (in Epist. de 3. quaest. ad Mag. innomin, n. 12.): " Nullus melius *naturam temporis et materiae* describit quam Augustinus, inquirendo et disputando in libro Confessionum; nullus melius *exitus formarum et propaginem rerum* quam ipse super Genesim ad litteram; nullus melius quaestiones de *anima* et *de Deo* quam ipse in libro de Trinitate; nullus melius naturam creationis mundi quam idem in libro de Civitate Dei. Et ut breviter dicam, **pauca aut nulla po-**

suerunt magistri in scriptis suis, quin illa reperias in libris Augustini „. — In his verbis continetur maximum elogium S. Augustini eiusque doctrinae.

§. 2.

Seraphicus maximi momenti facit auctoritatem S. Augustini.

Hoc, quamvis facile erui possit ex honorificis titulis, quibus, ut vidimus in praecedenti paragrafo, S. Augustinus saepe et passim celebratur a Seraphico Doctore, clarius tamen manifestum fiet ex tribus sequentibus, nempe: *a)* Seraphicus S. Augustini auctoritatem cum auctoritatibus primi ordinis et supremi valoris coordinat. — *b)* Auctoritas S. Augustini habetur a Seraphico Doctore tanquam criterium magni momenti ad aliquam doctrinam veram sectandamque iudicandam. — *c)* Auctoritas pariter S. Augustini est pro S. Bonaventura criterium summi momenti ad aliquam sententiam erroneam iudicandam.

I. *Seraphicus auctoritatem S. Augustini coordinat cum auctoritatibus primi ordinis et supremi valoris.* — Et revera — *a) coordinat Augustinum cum maximo philosophorum Aristotele,* ut videre est in 2. *Sent.* d. 15. a. 1. q. 1. in corp., ubi ait Seraphicus: " Haec autem positio rationabilior est et firmior, quia concordat in hoc *tam Augustinus quam Philosophus* „. — *b) Coordinat Augustini auctoritatem cum ratione et ipsa veritate,* sicut patet ex sequentibus textibus: in 2. *Sent.* d. 23. a. 2. q. 2. in corp. ait Seraphicus: " Sed licet hoc, quod nunc dictum est, satis probabile

videatur, *non tamen plene satisfacit rationi nec concordat verbis Augustini* „. Et in eodem 2. *Sent.* d. 25. p. 2. a. un. q. 3. ad 3. ait: " *Hoc est contra veritatem et contra Augustinum* „. Et in 4. *Sent.* d. 43. a. 1. q. 4. in corp. ait: " Et huic *concordat ratio* et *auctoritas philosophica* et *auctoritas beati Augustini.* — *c) Coordinat auctoritatem Augustini cum Symbolo,* ut in textu sequenti: 1. *Sent.* d. 19. p. 1. a. un. q. 1. in corp.: " Dicendum, quod aequalitas ponitur in divinis, secundum quod dicitur in *Symbolo et dicit Augustinus* etc. — *d) Coordinat Augustinum cum Paulo;* ex. gr. in 3. *Sent.* d. 4. a. un. q. 1. in fine corp. ait Seraphicus: " Lex vetus dicitur lex timoris, Lex Evangelii dicitur lex amoris, *secundum testimonium Apostoli et beati Augustini* „. Et in 3. *Sent.* d. 6. a. 1. q. 3. in corp. ait: " *Apostolus,* prudentissimus fidei praedicator *et Augustinus* subtilissimus fidei defensor, *insinuant* etc. „. — *e) Coordinat Augustinum cum Scriptura:* ex. gr. in 4. *Sent.* d. 44. p. 2. a. 2. q. 1. in corp. ait Seraphicus: " Ad hanc quaestionem videtur temerarium respondere, quia *Scriptura eam non determinat, nec doctor praecipuus Augustinus explicat* „. Et in *Apologia Pauperum* c. 5. n. 24. ait: " .... cui aperte *contrariatur evangelicus textus et Augustinus* „. Et in 2. *Sent.* d. 8. p. 2. a. un. q. 1. in corp. ait: " Dicendum quod sicut *innuit textus evangelicus et Augustinus* .... doemones per naturam suae subtilitatis etc.

II. *Auctoritas S. Augustini habetur a Seraphico Doctore tanquam criterium magni momenti ad aliquam doctrinam veram iudicandam.* — Hoc manifestum fiet ex sequentibus exemplis.

a) In 1. *Sent.* d. 8. p. 2. a. un q. 3. proponitur

solvenda haec quaestio: " Utrum anima rationalis sit tota in toto corpore, et tota in qualibet parte ipsius „ — Relata ibidem in corp. sententia aliquorum, qui " dicunt, quod anima secundum essentiam est in aliqua parte determinata, secundum potentiam vero est et influit in toto corpore, sicut aranea est in tela etc. „ ; relata, inquam, hac sententia, Seraphicus statim ibidem continuat dicens: " Sed aliorum opinio est, ut *Augustini* [1]), quod anima in qualibet parte corporis sit tota.... et *quia Augustinus hoc dicit, hanc approbo tanquam meliorem* „.

b) In 1. *Sent.* d. 19. p. 1. a. un q. 1. quaeritur: " Utrum in divinis ponenda sit aequalitas. „ — Huic quaestioni S. Augustini auctoritate fretus ita respondet Seraphicus (ibidem in corp.): " Dicendum, quod aequalitas ponitur in divinis, secundum quod dicitur in Symbolo [2]) et *dicit Augustinus* [3]) „

c) In 1. *Sent.* d. 35. a. un. q. 2. proponitur haec quaestio: " Utrum in ideis (divinis) ponenda sit pluralitas secundum rem „. In corp. eiusdem quaestionis, relata et refutata sententia eorum, qui " dixerunt, quod ideae in Deo *secundum rem* habent distinctionem „, Se-

---

[1]) Cfr. lib. VI. *de Trinitate* c. 6. n. 8.; et de *Immortalitate animae* c. 16. n. 25.; ac de *Origine animae* (epist. 166.) n. 4.; nec non contra Epist. Manichaei c. 16. n. 26.

[2]) Athanasiano: Aequalis Patri secundum divinitatem.

[3]) Ver. gr. in lib. VI. *de Trin.* c. 5. n. 7., ubi dicitur: " Spiritus sanctus in eadem unitate substantiae et *aequalitate* consistit ..... Si enim minus magna est ibi caritas quam sapientia, minus quam est diligitur sapientia: *aequalis* est igitur, ut quanta est sapientia tantum diligatur: est autem sapientia *aequalis* Patri .... *aequalis* est igitur etiam Spiritus sanctus; et si *aequalis,* in omnibus *aequalis* propter summam simplicitatem quae in illa substantia est „.

raphicus refert aliam sententiam oppositam, dicens: " ..... est alia positio, quod ideae sunt unum secundum rem „; qua sententia breviter demonstrata, concludit dicens: " *Et hoc dicit Augustinus expresse* [1]), *quod in illa arte omnia sunt unum* „.

d) In 2. *Sent.* d. 8. p. 2. a. un q. 1., ubi quaeritur: " Utrum doemones habitare possint in corporibus humanis „, statim Seraphicus auctoritate S. Augustini sufultus absque ambage affirmative respondet, dicens: " Dicendum, quod sicut innuit textus evangelicus et **Augustinus** etiam in libro *de divinatione doemonum* [2]), doemones per naturam suae subtilitatis et spiritualitatis possunt quaecumque corpora penetrare et in eis sine aliquo obstaculo et impedimento subsistere; ratione vero suae potestatis possunt ea corpora, in quibus sunt, commovere et conturbare etc.

e) In 2. *Sent.* d. 7. p. 2. a. 2 q. 2. occurrit quaestio: " Utrum doemones veras rerum formas inducere possint „. Seraphicus praemissa hac distinctione, quod scilicet hic " non est quaestio de forma *artificiali,* quia planum est, quod potest imagines et figuras facere, sicut homo — sed (hic quaestio est) de formis *naturalibus,* utrum scilicet possit verum serpentem et veram ranam producere, et sic de aliis „; praemissa, inquam,

---

[1]) Libr. VI. *de Trin.* c. 10. n. 11., ubi ait: " Verbum perfectum cui non desit aliquid, et (est) ars quaedam omnipotentis atque sapientis Dei, plena omnium rationum viventium incommutabilium et omnes unum (sunt) in ea „. Hunc textum adducit Seraphicus ibidem fund. 1.

[2]) Cap. 5. n. 9.: " Suadent autem (doemones) miris et invisibilibus modis per illam subtilitatem suorum corporum *corpora hominum* non sentientium *penetrando* „. Hunc textum adducit Bonav. l. c. fund. 2.

hac distinctione, declaratoque sensu praeciso quaestionis, ait ipse: " Ad hanc quaestionem respondendum est per distinctionem, quoniam, quod doemon formam inducat, dupliciter potest intelligi: aut quod virtute *propria* aut quod virtute *aliena*. Si intelligatur, quod inducat virtute *propria*, sic absque dubio falsum est, et *hoc dicit Augustinus* (lib. III. *de Trin.* c. 8. n. 13. seqq.); si intelligatur, quod virtute *aliena*, scilicet per virtutem rerum naturalium, quas coniungit ad invicem, sic potest..... Unde tantum sunt ministri, non principales agentes, quia, si essent principales agentes, cum non producant per conveniens nomine et specie, producerent sicut creator, et ita essent creatores; *quod Augustinus negat expresse* [1]) „.

f) In Quaestionibus Disp. de Scientia Christi, q. 7. in corp. ubi Seraphicus tangit infinitatem sapientiae divinae quoad possibilia, ita scribit: " .... relucent (in sapientia increata secundum quod est exemplar *expressivum* sive repraesentativum) omnia, quae Deus potest facere et intelligere; et haec quidem sunt infinita, sicut in praecedentibus monstratum fuit, et *Augustinus expresse dicit* duodecimo de *Civitate Dei* „ [2]). Et in eodem opusculo q. 1. in corp. de eadem re agendo, ita

---

[1]) Lib. III. *de Trin.* c. 8. n. 13.: " Nec sane creatores illi mali angeli dicendi sunt, quia per illos magi resistentes famulo Dei ranas et serpentes fecerunt; non enim ipsi eas creaverunt „. etc.

[2]) Cap. 18. ubi legitur: " Infinitas numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen incomprehensibilis ei, cuius intelligentiae non est numerus „ — Et ibidem lib. XI. c. 10. n. 3. ait Augustinus: " Neque multae, sed una sapientia est, in qua sunt immensi quidam atque infiniti thesauri rerum intelligibilium etc. » Hi duo textus afferuntur a Seraphico in eodem opusculo *de Scientia Christi,* q. 1. fund. 1. et 2.

scribit Seraphicus: " Secundum doctores antiquos compellimur ponere, Deum scire infinita, ... *Augustino non solum istud asserente, verum etiam probante* duodecimo *de Civitate Dei* [1]) „.

III. *Auctoritas S. Augustini a divo Bonaventura in medium profertur tanquam criterium summi momenti ad aliquam sententiam erroneam iudicandam.* — Hoc etiam manifestum fiet ex aliquibus exemplis.

a) In 1. *Sent.* d. 27. p. 2. a. un. q 1. occurrit quaestio: " Utrum Verbum in divinis dicatur essentialiter an notionaliter „. — Relata sententia eorum, qui " voluerunt dicere, quod .... *verbum* dicitur *essentialiter* et *personaliter* „, eam improbat Seraphicus hoc modo: " Sed hoc est *contra Augustinum .... expresse.* Nam Augustinus dicit [2]), quod „ verbum eo ipso quod verbum, dicitur ad alterum „ .... Et *hoc patet etiam per auctoritates Augustini,* quas Magister adducit in littera „.

b) In 1. *Sent.* d. 37. p. 2. dub. 4. exposita sententia eorum, qui " voluerunt dicere, quod eadem sapientia creata esset in duobus sapientibus etc. „, eam improbat Seraphicus, dicens: " Sed *haec positio deviat ab Augustino, quia Augustinus vult* [3]), quod esse in

---

[1]) Cfr. textus in nota praecedenti hic relatos.

[2]) Lib. VII. *de Trin.* c. 2. n. 3.: " Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad se ipsum dicitur; ita et Verbum ad eum enjus Verbum est, refertur, cum dicitur Verbum. Eo quippe Filius quo Verbum, et eo Verbum quo Filius ..... Et propterea non eo Verbum quo sapientia: quia Verbum non ad se dicitur, sed tantum *relative* ad eum cuius Verbum est, sicut Filius ad Patrem etc. „

[3]) Ubinam S. Augustinus hoc tradat, non potui reperire: *P P. Quaracchiani* l. c. S. Bonav. *nota* 7. citant ad propositum

pluribus omnino distinctis non convenit uni et eidem creaturae nisi per miraculum „.

c) In 2. *Sent.* d. 22. a. 1. q. 2. agitur de ratione peccati Adam et Eva et quaeritur: " Utrum id quod mulier appetiit, vir etiam concupierit „. — Et relata (ibid. in corp.) sententia eorum, qui " dicunt, quod Adam idem ipsum, quod mulier appetiit, cuncupivit etc. „, Seraphicus eam improbat, dicens: " Sed *quia verbis beati Augustini haec opinio non consonat,* immo expresse videtur sentire contrarium, sicut patet ex auctoritatibus eius inductis in littera [1]) .... ideo est alia positio, quod vir in appetibili et principali motivo non fuit conformis mulieri transgrediendo, licet esset ei conformis in transgressione mandati divini etc. „.

d) In 2 *Sent.* d. 23. a. 2. q. 2., ubi quaeritur: " Utrum si primi parentes stetissent in statu innocentiae, aliquando decipi potuissent „, facta quadam distinctione, iuxta quam aliquo sensu videtur dici posse, Adam potuisse decipi, Seraphicus statim (ibid in corp.) hoc ipsum reprobans, dicit: " Sed licet hoc quod nunc dictum est, satis probabile videatur, non tamen plene

---

Epist. 187 (alias 57.) *ad Dardanum* n. 10. — et lib. 22. *de Civit. Dei* c. 29. n. 3., sed. his in locis non agitur proprie de re, de qua loquitur hic Seraphicus.

[1]) Petri Lombardi 2. Sent. d. 22. c. 3. et 4. ubi inter alios iste Augustini textus ex lib. XI. *super Genes. ad litt.* c. 42. n. 58.: " Cum Apostolus Adam praevaricatorem fuisse ostendat, dicens: *In similitudinem praevaricationis* Adae (Rom. 5. 14), seductum tamen negat, ubi ait: *Adam non est seductus, sed mulier.* Unde et interrogatus non ait: *Mulier seduxit me,* sed: *Dedit mihi et comedi.* Mulier vero inquit: *Serpens seduxit me.* „ Et ibidem n. 60 ait: " Dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo arbitror illum potuisse seduci „.

satisfacit rationi *nec concordat verbis Augustini* [1])... Ideo dicendum est, quod etsi in statu innocentiae fuisset in homine alicuius *nescientiae* imperfectio... non tamen in eo fuisset deceptio „.

e) In 2. *Sent.* d. 10. a. 2. qq. 1. et 2. agit Seraphicus de errore illorum philosophorum [2]), qui " posuerunt intellectum nostrum non pervenire ad lumen primum, sed perfici et illuminari a primo lumine (Deo) per lumen intelligentiae medium (angelum) „ l. c. q. 2. in corp., seu " posuerunt, quod anima esset instrumentum *intelligentiae* et quod *intelligentia* (angelus) influeret super animam, sicut influit agens super instrumentum [3]) „ (ibid. q. 1. in corp.). — Contra hunc errorem acriter insurgit Seraphicus Doctor, ac doctrina et auctoritate S. Augustini munitus, ita eundem errorem damnat (ibid. q. 2. in corp.): " Hoc est simpliciter tanquam erroneum respuendum, cum *in multis locis*

---

[1]) Cfr. *Enchiridion* c. 17. n. 5. ex quo loco, ait idem Seraphicus ibidem, "colligitur, quod Augustinus vocat *errorem* generaliter omnem deceptionem; et illum dicit indecorum et indecentem, et ad *vitam miseram* pertinere „; ergo error et deceptio non pertinuisset ad vitam protoparentum, si stetissent, ea enim *misera* non erat.

[2]) Sunt praesertim *Neoplatonici* inter quos eminent *Plotinus* (205-270 p. Chr.) et *Proclus* (411-485): nec non *Arabes,* quorum praecipui sunt: *Alfarabi* († 950), *Avicenna, Avicebron, Averoes.* Cfr. 2. *Sent.* pag. 29 *nota* 3. et pag. 263, nota 8.

[3]) Iste error, si non idem, connexus est saltem cum alio errore (in Conc. Later. V. damnato) eorundem philosophorum quo docetur, *unam tantum esse animam in omnibus hominibus,* non vero unam in unoquoque homine, de quo errore fuse agit Seraphicus in citato 2. *Sent.* d. 18. a. 2. q. 1. — Item in Opusculo *De Donis Spiritus sancti* coll. 8. n. 16-20. — Item in Opusculo *de 10 Praec.* coll. 2. n. 25.

beatus Augustinus ostendat contrarium [1]), et etiam sacra Scriptura hoc dicat etc. „. Eundem errorem damnat Seraphicus (ibid. q. 1. in corp.) his verbis: " Ista positio est contra veritatem catholicam et piam. Qui enim hoc posuerunt, non intellexerunt arbitrii libertatem neque animae dignitatem neque beatitudinis sublimitatem ; quae si intellexissent, sicut *beatus Augustinus,* egregius doctor, posuit, animam immediate a Deo compleri et moveri et beatificari dixissent, ut beatus Augustinus. Unde *beatus Augustinus ubicumque de mente loquitur, istum errorem extirpat, ostendens, quod ita immediate anima secundum mentem unitur Deo, sicut et mens angelica* „. Pari modo juxta mentem S. Augustini hanc rem determinans ita concludit Seraphicus (ibid. q. 2. in corp.): " Dicendum, quod animam quoad superiorem portionem rationis illuminare solius Dei est proprium, sicut pluribus locis ostendit Augustinus „. [2])

---

[1]) Cfr. l. 83 *Quaest.* q. 51. n. 4.; ibid. n. 2.: ibid. q. 53. n. 2. — Lib. I. *de libero Arb.* c. 10. n. 21. — L. XI. *de Civitate Dei,* c. 2. — lib. XIV. *de Trin.* c. 14. n. 20; ibid. XI. c. 5. n. 8. — *De vera* Religione c. 55. n. 113. — *De Gen. ad litt.* c. 16. n. 60. — *Enarrat. in Ps.* 118.; Serm. 18. n. 4. — Multi textus ex citatis locis adducti sunt a Seraphico Doctore in cit. l. 2. *Sent. fund.* et etiam ibidem d. 1. p. 2. q. 2. q. 2. opp. 1., nec non in opusculo *de Scientia Christi* q. 4.

[2]) Cfr. notam praecedentem. — Si hanc S. Augustini et S. Bonaventurae doctrinam bene animadvertissent *ontologi* elapsi saeculi, melius certe sensum illorum textuum in praecedenti nota citatorum, qui eisdem theologis petra scandali fuere, intelligere potuissent, nec ausi certe fuissent ipsos Ss. Doctores tanquam fautores immo magistros traducere illius insanae doctrinae *de immediata Dei visione in via,* quae nonnisi ab ipsis ontologis excogitata fuit. — Ceterum causam S. Augustini et divi Bonaventurae contra ontologos defen-

§ 3.

Seraphicus Doctor quam frequentissime S. Augustinum nominat *eiusque opera* citat.

Quamvis S. Bonaventura universalem habuerit eruditionem, sicut manifeste apparet ex eius operibus, adeo ut in omnium fere philosophorum ac Patrum operibus versatus videatur [1]), et quamvis ipse erga omnes Doctores Ecclesiaeque Patres maximam ostendat semper reverentiam; nonnullorum tamen Patrum nomina familiariora ei fuisse videntur, ipseque quadam praedilectione erga aliquos praesertim affectus apparet. Hi sunt Ss.

---

dendam feliciter susceperunt: *Thomas Zigliara* Card. O. Pr. in opere: *Della luce intellettuale e dell' Ontologismo secondo la mente di S. Agostino, S. Tommaso e S. Bonaventura. — P. Lepidi O. Pr.* in opere: *Examen philosophico-theologicum de ontologismo. — Emmanuel Zorzoli,* qui Quaestionem disputatam de ratione humanae cognitionis S. Bonav. (Tom. V. pag. 17) commentatus est contra rosminianas eiusdem quaestionis interpretationes *Sebastiani Casara. — Matthias Joseph Scheeben* in opere: *Handbuch der katholischen Dogmatik — Joseph Antonius Schwane* in opere: *Dogmengeschichte — Ludovicus a Castroplanio* in opere: *Seraphicus Doctor Bon. in Oecumenicis Conciliis — PP. Quaracchiani* in Scholiis novae Editionis operum S. Bonaventurae — multique alii. Ceterum amplam defensionem Seraphici Doctoris contra Ontologos ex professo suscipiam in alio opusculo in posterum edendo.

[1]) Seraphicus in *Exaëmeron* coll. 19., ubi docet rectum modum theologiae studendi, in n. 6. volentibus theologiae studere quatuor genera librorum commendat, nempe: " Primi libri sunt sacrae *Scripturae* — secundi libri sunt *originalia* (opera) *Sanctorum* — tertii *Sententiae magistrorum* — quarti, *doctrinarum* mundialium sive *philosophorum* „. Et postquam speciali modo sacrae Scripturae studium commendasset, rationem reddens, cur et alii libri adhiberi debeant, ait (ib. n. 10): " Ad hanc (Scripturarum intelligentiam) non potest homo

Gregorius Magnus, Hieronymus, Ambrosius, Anselmus et *Bernardus*. Isti enim valde frequenter a Seraphico nominantur citanturque.

Hos inter tamen unus est, qui supra omnes excel-

---

pervenire per se, nisi per illos, quibus Deus revelavit, scilicet per *Originalia Sanctorum*, ut *Augustini, Hieronymi* et aliorum. Oportet ergo recurrere ad originalia Sanctorum ; sed ista sunt difficilia ideo necessariae sunt *Summae Magistrorum*, in quibus elucidantur illae difficultates. — Sed quia ista scripta adducunt *philosophorum verba*, necesse est, quod homo sciat vel supponat ipsa „. Juxta hunc ordinem, quem aliis commendat, ipse quoque Seraphicus studiis incubuit, hinc non est mirum, si ipse adeo vastam universalemque acquisiverit eruditionem. — Huius rei amplissimum exhibent testimonium ipsae innumerae ac omnigenae citationes, *Patrum, Doctorum, Theologorum, Philosophorum. Poëtarum*, aliorumque scriptorum, quae in Seraphici operibus passim occurrunt. Quoad *Patres et Doctores* spectat, citantur a Seraphico praesertim : *Origines, Dionysius Areopagita, Didymus. Athanasius, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, Hieronymus, Basilius. Beda, Bernardus, Boëthius, Hilarius, Chrysostomus, Damascenus, Isidorus. Eusebius, Cyprianus, Anselmus* etc. — E *Theologis* citantur praesertim : *Petrus Lombardus, Petrus Pictaviensis, Richardus a S. Victore, Petrus Praepositivus, Hugo a S. Victore, Gilbertus Porretanus, Gulielmus Antissiodorensis, Gulielmus Parisiensis, Alexander Halensis* etc. — E *Philosophorum* numero citantur: *Plato, Aristoteles, Seneca, Apuleius, Trismegistus, Porphirius, Avicenna, Algazel, Averoes etc.* — E *Poëtis* aliisque *profanis scriptoribus* citantur : *Horatius, Ovidius, Euclides, Cicero, Iulius Caesar, Sallustius, Josephus Hebraeus* etc. — Notanda hic venit etiam sapientissima responsio Seraphici ad Magistrum Innominatum (*Epist.* de 3 Quaest. n. 12) qui contra Franciscanos obloquebatur eo quod isti non modo S. Scripturae, sed etiam *philosophiae* operam darent, ac *philosophorum opera* sedulo volverent ; ait enim ei S. Doctor : "Quodsi verba philosophorum aliquando plus valent ad intelligentiam veritatis et confutationem errorum, non deviat a puritate aliquando in his studere, maxime cum multae sint quaestiones fidei, quae sine his non possunt terminari etc.

lit, cuiusque nomen in ore S. Bonaventurae adeo frequens resonat, ut difficile sit, aliquem alium doctorem Scholasticum invenire, qui toties illud pronuntiaverit ac ipse S. Bonaventura.

1. S. Augustini nomen non minus quam *bis mille sexcentum et vigintiquinque vicibus* (2625) prolatum occurrit in operibus S. Bonaventurae, nempe: 430 vicibus in I Sententiarum, 582 vicibus in II. Sent., 405 vic. in III. Sent., 368 vic. in IV. Sent., 215 vic. in V. Tom., 250 vic. in VI. Tom., 74 vic. in VII. Tom. 159 vic. in VIII. Tom., et 142 vic. in IX. Tom. -- Si quis hoc comprobare voluerit, faveat percurrere *Tabulam* I. infra positam, in qua omnimoda fidelitate ac praecisione notantur loca omnia Operum S. Bonaventurae, in quibus S. Augustini nomen prolatum legitur.

2. Nec minus frequens occurrit in Seraphico Doctore usus ac citatio operum S. Augustini. Ex eius enim *genuinis* operibus non minus quam *nonagintaseptem* (97) a Seraphico adhibita atque citata inveniuntur, nempe: 20 *Epistolae*, 16 *Sermones* et 61 alia opera maioris momenti. — His praeterea addenda veniunt alia 22 opera *spuria* vel *dubia*, quae, quia tunc temporis sub nomine S. Augustini vulgabantur, ab ipso Seraphico tanquam eius opera habebantur, atque ut talia ab eo citabantur.

Quam familiaria autem fuerint S. Bonaventurae eadem divi Augustini opera, ex eo potissime colligi potest, quod quaedam ex eis, praesertim quae maioris sunt momenti, non *semel* aut *bis*, sed *quinquagies* ac *centies* citantur. Sic ex. gr. *ll. de Doctrina Christiana.* citantur *quinquaginta quator vicibus* (54), l. *Octogintatrium Quaestionum* cit. 57 vic., ll. *Confessionum* 61 vic., *ll. de Libero Arbitrio* 64 vic., *ll. de Genesi*

ad litteram 117 vic.. ll. *de Civitate Dei* 209 vic. et II. *de Trinitate* 299 vic. etc. — Qui hoc comprobare voluerit, consulet *Tabulam* II. infra positam, in qua maxima cum fidelitate indicantur *opera* omnia S. Augustini sive *genuina* sive *dubia* a Seraphico *citata*, nec non et *numerus* praecisus *citationum* eorundem operum signatur. In eadem quoque *tabula* paginae omnes Operum s. Bonaventurae notantur, in quibus aliquod divi Augustini opus citatum legitur.

CAPUT 2.

S. Bonaventura defendit Augustinum a falsis doctrinis ei iniuste impositis, eiusque doctrinas vel obscuras vel minus recte sonantes benigne interpretatur, easque ingeniose exponere studet.

Si tanta fuit divi Bonaventurae reverentia tantaque eius praedilectio erga S. Augustinum, quanta ex praedictis facile apparet, absque dubio non minor fuit eiusdem zelus, quo S. Augustini honorem defendere semper studuit.

Huius zeli satis manifestum signum est illa dura reprehensio, qua Seraphicus Doctor acriter invehitur in *Expositione Regulae* Fr. M. (c. 2. n. 23) contra eos, qui S. Augustino quandam falsam doctrinam imponere audebant. Seraphicus enim horum audaciam increpans, ait: " Turpe est autem sancto (Augustino) falsum imponere et pro defensione mendacii in aprocryphis gloriari etc „. — Huius quoque zeli manifestum signum exhibet sedulum studium ad artem subtilissimarum quandoque distinctionum recurrendi [1]), qua mediante harmoniam inducit Seraphicus inter eos S. Augustini textus,

---

[1]) Ad rem notanda venit haec *PP. Quaracchianorum* animadversio, nempe: " Admiranda certe in ipso (S. Bonaventura) elucet sapientia et ars, qua dissentientes magistrorum opiniones, non tantum disparatas, sed etiam quoad superficiem verborum contrarias, sine detrimento veritatis conciliare, vel saltem inadaequate dicta ad sanum sensum trahere solet. — Cfr. Tom. 10. I. *Dissert. de Scriptis* S. Bonav. p. 3. c. 1. n. 6.

qui inter se oppositos esse videantur, quorumque occasione ab aliquibus, minori reverentia erga S. Doctorem praeditis, ipse S. Augustinus tanquam *instabilis* iudicari posset, ac si in diversis locis contraria docuisset. Hac arte in favorem S. Augustini multis in locis utitur Seraphicus, quos inter unum hic citare sufficiat, nempe 2. *Sent.* d. 4. a. 3. q. 1., ubi agitur de *cognitione matutina* angelorum, quae iuxta Augustinum est cognitio in Verbo. Hunc locum prae ceteris citandum duco, quia hic praeclarum argumentum exhibet Seraphicus sui zeli sedulique studii in defendendo S. Augustini honore. — Hic enim, facta quadam distinctione circa ipsam cognitionem in Verbo, facile et satis clare apparet, quo sensu dici possit Angelos in *prima creatione* habuisse *cognitionem matutinam* et quo sensu non; ex quo facile intelligi potest, quo sensu Augustinus illam cognitionem in Angelis fuisse, affirmare potuerit in l. IV. super *Genesim ad litteram* c. 22. et illam e contra negaverit in l. XI *de Civitate Dei* c. 11., 13-15. etc. 19. Ex quo inferendum iure optimo ducit Seraphicus, S. Augustinum neque *instabilem* iudicandum, neque contraria docuisse, sicut prima facie ex citatis libris quibusdam videri poterat. Et hac quidem occasione capta, illam nobis sapientissimam tradidit regulam, quae adeo divum Augustinum honorat, his verbis expressam (ib. in corp.): " *Et hoc curialius est dicere, quam dicere quod Augustinus dicat contraria, et tanquam instabilis modo dicat hoc, modo contrarium ... Non est credendum, quod* **tantus homo** *sibi contradicat, maxime in his quae non retractat* „.

Ut autem huiusmodi zelus Seraphici Doctoris magis magisque in lucem prodeat, absonum non erit, aliqua exempla in medium proferre, quibus ostendatur,

quanto studio munus veri discipuli erga Augustinum exercuerit, eiusdem doctrinas sciiicet vel obscuras vel minus sane sonantes declarando pieque exponendo, sicque ingeniose prohibendo, ne eaedem ab aliis in peiorem partem traherentur.

a) In 2. *Sent.* d. 8. p. 1. a. 1. q. 1. quaestio instituitur: " Utrum Angeli habeant corpora naturaliter sibi unita. „ — Huic quaestioni ita respondet Seraphicus: (ibid. in corp.): " Nunc satis certitudinaliter tenetur, quod Angeli sunt naturaliter incorporei, nec habent corpora *naturaliter* sibi *unita* ..... (Et) satis probabiliter dici potest, quod non solum non habent corpora sibi *naturaliter unita,* verum etiam nec boni nec mali habent *inseparabiliter alligata,* quantum est de lege communi „. — Attamen " circa istam quaestionem dubitaverunt aliquando magni doctores „; immo nonnulli extitere Patres atque ecclesiastici scriptores [1]), qui reapse docerent Angelos non esse omnino spirituales omnique corpore expertes, sed quoddam saltem leviusculo aethereoque corpore praeditos. Hos inter et ipse Augustinus a nonnullis traducebatur, et praesertim propter illa verba, quale leguntur in l. VIII. *de Civitate Dei* c. 16: " Doemones sunt genere animalia, mente rationalia, animo passiva, *corpore aërea,* duratione aeterna „; qui textus affertur a Seraphico l. c. opp. 1.

---

[1]) A theologis citari solent: *Justinus. Athenagoras, Tatianus. Irenaeus, Clemens Alexand.. Origines, Methodius, Macarius, Basilius, Cyrillus Alex., Minucius Felix, Tertullianus, Lactantius, Ambrosius, Cassianus, Petrus Chrysologus, Mamertus Claudianus, Gennadius, Caesarius,* de quibus cfr. Schwetz *Theol. dogm.* edit. 3. v. 1. pag. 420. Immo nec defuerunt adhuc medio aevo, qui Angelis corpus aliquod tribuerent, de quibus cfr. Hurter *Comp. theol.* v. 2. n. 407. pag. 335 edit. 10.

S. Bonaventura ab hac minus sana doctrina divum Augustinum aliqualiter defendit hoc modo: *primo* scilicet, statuendo, S. Augustinum hac de re locutum fuisse *dubitative;* et hoc clare expressit S. Bonav. (ibid. in corp.), dicens: " Super hoc dubie loquitur Augustinus „; *secundo,* animadvertendo, citata verba ab Augustino prolata fuisse non ad mentem suam, sed potius secundum sententiam aliorum. Quapropter opportune observat Seraphicus (ibid. ad 1.) illa verba desumpta esse ex *Apuleio:* " Ad illud vero Augustini, quod inducitur octavo *de Civitate Dei,* dicendum, quod ibi loquitur Augustinus secundum opinionem Apuleii; et *frequenter* circa hanc materiam plus loquitur secundum opinionem aliorum quam secundum sententiam suam „.

b) In 2. *Sent.* d. 5. dub. 1. occurrit illa sententia Augustini: " Nullius conscientia potest odisse Deum „ (ex l. II. de Serm. Domini in monte c. 14. n. 48). Haec sententia potest erronee sonare et ad falsam significationem trahi; quasi scilicet ea iudicaret neminem posse se a Deo avertere ac per hoc neminem peccare posse. — Propterea Seraphicus statim iustificat Augustinum dupliciter: *primo,* advertendo ipsum iam Augustinum sententiam illam tanquam minus recte sonantem retractasse: *secundo* et ne aliquis concluderet, Augustinum imprudenter illud protulisse, explicat Seraphicus sensum verum et sanum, quo illa sententia sumi potest. En verba S. Bonaventurae (ibidem): " Ad illud quod dicitur, quod *nullius conscientia potest Deum odisse;* dicendum, quod Augustinus illud retractat [1]). Attamen

[1]) S. Augustinus illud retractat in Lib. 1. *Retract.* c. 19. n. 8. dicens: " Quod dixi: Nullius enim fere conscientia Deum potest odisse, non video fuisse dicendum. Multi enim sunt de quibus scriptum est: *Superbia eorum qui oderunt te.*

veritatem habet aliquo modo illud verbum, si intelligatur de Deo: in quantum est summum bonum, ad quod participandum facta est creatura rationalis; unde cum semper appetat beatificari, nunquam beatificantem odit. — Nihilhominus contingit, considerari Deum, ut iustum, ponentem leges et infligentem poenas; et sic odiunt multi, qui scilicet peccant in Spiritum sanctum „.

c) In 2. *Sent.* d. 14. p. 1. a. 3. q. 2. agitur quaestio de motu corporum coelestium: " Utrum motus coeli sit a propria forma, vel ab intelligentia. „ — Sicut (ibid. in corp.) ait Seraphicus: " Quidam philosophi [1]) posuisse videntur, quod coeli haberent animas, et quod coelum esset magnum animal, et quod moveretur a propria forma perfectiva, sicut movetur animal; et hanc animam motricem posuerunt regi et dirigi a Deo mediante intelligentia „. — Ad hanc phantasticam sententiam, quae, ut ibidem ait Seraphicus, " falsa est et erronea „ trahebatur, non sine dedecore tanti Doctoris, ipse Augustinus, propter id quod scripserat in lib. *de Immortalitate animae* c. 15. n. 24., nempe: " Per animam ergo corpus subsistit, et eo ipso est quo animatur, sive universaliter, ut mundus, sive particulariter, ut unumquodque animal intra mundum „. Seraphicus, ut Augustinum ab hac falsa doctrina purgaret, statim in medium profert eiusdem retractationem, dicens (ibid.

---

[1]) Praecipue Arabes, quorum antesignanus Avicenna (IX. *Metaph.* c. 1.) suam opinionem his verbis complectitur: " Oportet autem, ut causa propinqua primi motus sit anima, non intelligentia, et quod coelum est animal obediens Deo. Cfr. Averroës *de Substantia orbis* c. 2.; Epit. in l. Met. tr. 4.; *Destr. destr. disp. met.* 14. seqq., ubi collecta sunt quae ipse hac de re in Comment. super Aristotelis opera sparsim dixit; ac simul impugnatur opinio Avicennae, qui vult, coelum informatum esse anima *sensitiva.*

in corp.): " Augustinus retractat illud verbum [1]), quod dixerat in libro *de Immortalitate animae,* quod mundus animatur „. — Dein Seraphicus, ut plenius ipsum Augustinum et quemcumque alium Doctorem salvaret, subiungit, ibidem: " Si aliqui Sancti videantur hoc dicere, sicut Hieronymus super Ecclesiasten, hoc totum intelligendum est dictum *metaphorice* „.

d) In. 2. *Sent.* d. 24. p. 1. a. 2. q. 1. quaeritur: " Utrum intellectus et affectus, sive ratio et voluntas, essentialiter differant „. Ibidem in primo argumento ad oppositum affertur iste textus S. Augustini (ex lib. X. *de Trinit.* c. 11. n. 18.): " Haec tria, scilicet memoria, intelligentia et voluntas sunt una mens, una intelligentia, una vita [2]). „ — Haec S. Augustini verba male a quibusdam intellecta sunt, quasi scilicet his verbis

[1]) Haec retractatio invenitur in Lib. I. *Retract.* c. 5. n. 3. ubi, quoad supra citatum textum lib. *de Immortalitate animae,* S. Augustinus ait: " Hoc totum prorsus temere dictum est „. — Ast hic amore veritatis observandum est cum eodem S. Bonaventura (2. *Sent.* d. 14. p. 2. dub. 3.), quod S. Augustinus citatum textum lib. *de Immortalitate animae,* retractat quidem, " non tamen omnino tanquam falsum condemnat. Ait enim sic in lib. I. *Retractationum* c. 11. n. 4.: " Animal esse mundum, sicut Plato sensit, aliique plurimi, nec ratione certa indagare potui, nec divinarum Scripturarum auctoritate persuaderi posse cognovi. Unde tale aliquid a me dictum, quomodo accipi possit, quod animal sit mundus, temere dictum reprehendo, non quia hoc esse falsum confirmo, sed quia nec verum esse comprehendo „. Etiam Scotus (2. *Sent.* d. 14. p. 2. q. 1. n. 5.) observat, S. Augustinum, in sua hic relata retractatione, praecitatam doctrinam de *animatione mundi* non ut prorsus falsam reprobasse. Cfr. PP. *Quaracchianos, Scholion* ad 2. *Sent.* pag. 347, nec non pag. 348 nota 7.

[2]) Textus genuinus sic sonat: " Haec igitur tria: memoria, intelligentia, voluntas, quoniam non sunt tres vitae, sed una vita, nec tres mentes, sed una mens, consequenter utique nec tres substantiae sunt, sed una substantia „.

docuerit ipse potentias animae non distingui realiter, quae quidem sententia obviat communi et probabiliori doctrinae, qua asseritur, potentias animae realiter distingui, ut docent Angelicus et Seraphicus. Propterea, ut notat S. Bonav. (ibid. in corp.), patroni sententiae de *distinctione rationis* libenter ad praedicta Augustini verba provocant, nec non ad ea, quae leguntur in libro *de Anima et Spiritu,* ubi videtur (Augustinus) hoc expresse dicere et sentire [1]). — Seraphicus valde subtiliter studet Augustinum hac in re explicare, ut eum a doctrina illorum, qui negant realem distinctionem potentiarum animae, vindicet. Et ideo ita loquitur Seraphicus ibidem ad 1.: " Ad illud quod primo obiicitur de **Augustino,** quod sunt *una essentia* et *una vita:* respondendum est, quod ideo dicuntur esse una essentia propter hoc, quod in una essentia radicantur et adeo adhaerent illi intrinsecus, ut non cedant in aliud genus; et ideo ad illius expressionem utitur beatus Augustinus tali praedicatione. Et quod ista non sit expositio ab intellectu et sensu illius verbi distorta, colligitur hoc ex ipsis verbis beati Augustini in decimo quinto *de Trinitate* (c. 7. n. 11.), ubi dicit, quod ipse Deus est tres personae, sed in creatura habens tres potentias, non est ipsae potentiae; et haec est dissimilitudo quaedem trinitatis creatae et Trinitatis increatae. Cum igitur ibidem explanet verba prius posita, qualiter sunt intelligenda ; ex ipso verbo beati Augustini colligitur, quod cum dixit, me-

[1]) Praesertim c. 4. et 13, ubi dicitur, quod anima, quamvis essentialiter sit una, tamen secundum eius diversa officia sive exercitia diversis nominibus nuncupetur, et quod eius potentiae idem sint quod ipsa anima. — Animadvertendum tamen est, hunc librum non esse Augustini, cfr. infra *Tabulam II., opera dubia* n. 3. *nota* 2.

moriam, intelligentiam et voluntatem unam esse essentiam, non dixit per omnimodam identitatem, sed per quandam intrinsecam adhaerentiam. Et hunc modum loquendi credendum est habuisse auctorem libri *de anima et spiritu,* sive fuerit Augustinus, sive alius; quoniam, si aliter intelligeretur, valde improbabiliter videretur fuisse locutus. Sequeretur enim ex verbis suis, quod unum et idem esset ratio interior et exterior sensus; quod adeo contra rationem est, ut etiam refugiat ipse auditus „.

Ut autem adhuc clarius pateret, S. Augustinum recedere ab illa sententia de identitate essentiali potentiarum, et docere potius sententiam contrariam, quae tenet realiter distinctas esse animae potentias, libenter Seraphicus ex eodem Augustino tria alia argumenta in medium profert, quae continentur ibidem in tribus prioribus fundamentis, quae sunt: *a)* " Augustinus in decimo *de Trinitate* (c. 11. n. 18. sqq.) dicit, animam esse ad imaginem (Dei) quoad unitatem essentiae et trinitatem potentiarum: ergo, si vera est ibi trinitas, vera est ibi potentiarum distinctio: ergo non solummodo distinguuntur *relatione,* sed etiam secundum id quod sunt absolute „. — *b)* " Si eadem potentia per essentiam esset ratio et voluntas, ... sic voluntas non solum intelligeret per intelligentiam, sed etiam per seipsam. Falsum igitur diceret Augustinus decimo quinto de Trinitate c. 7. n. 12., cum dicit, quod " nihil volumus nisi per voluntatem, nihil intelligimus nisi per intelligentiam „. — *c)* " Augustinus nono *de Trinitate* c. 4. n. 5. loquens de ratione et voluntate, sive de notitia et amore, ait sic: " Admonemur, si utcumque videre possumus, haec in anima existere et tamquam involuta evolvi, ut sentiantur et *numerentur* substantialiter, vel ut ita dicam, essentialiter „.

Post haec omnia, iure meritoque, exposita sententia, iuxta quam docetur, potentias animae " differre essentialiter in *genere potentiae,* ita ut dicantur *diversae potentiae* sive diversa instrumenta eiusdem substantiae „ pro hac, quam ipse quoque, tenet, sententia, Seraphicus fidenti animo S. Augustinum citare potuit, dicens (ibid. in corp.): " Et hoc senserunt praedecessores nostri [1]); sensisse etiam videtur Augustinus, sicut expresse apparet in auctoritatibus supra dictis „.

e) In 4. *Sent.* d. 44. p. 2. a. 1. q. 2. instituitur quaestio: — Ubi sit infernus. — Huic quaestioni, auctoritate S. Gregorii munitus, respondet Seraphicus (ibid. in corp.) dicens: " Dicere possumus, infernum locum esse corporeum, sub terra habentem situm „; et hoc quidem est quod tenet opinio satis communis et vulgata, et, ut opportune observat idem Seraphicus, " huic (opinioni) concordat Scriptura, concordat denominatio, concordat et ratio „. — Ast ab hoc communi sensu videretur quasi dissentire S. Angustinus propter id quod lib. duodecimo *super Genesim ad litteram* c. 34. n. 66. ait: " Sub terris dicuntur esse inferi vel creduntur, quia congruenter in spiritu per illas corporalium rerum similitudines sic demostrantur „. — Per haec enim verba (quae Seraph. refert. l. c. ad opp. 1.) videtur Augustinus dicere, infernum non esse sub terra, etsi appareat esse sub terra. Attamen haec non est mens S. Augustini, ut opportune observat Seraphicus, qui ostendere nititur Augustinum non dissentire a communi opinione *tum* quia id quod dixerat in praecitato textu. non asse-

[1]) Nempe Alexander Halensis, (S. p. II. q. 21. m. 1. ad 2. et q. 65. m. 1.) — Etiam Joannes de Rupella, *S. de Anima,* p. II. c. 1. inclinat in eandem sententiam; ita notant PP. Quaracchiani l. c. S. Bonav. pag. 560. *nota* 8.

rendo, sed tantum coniecturando protulerat, *tum* etiam quia illud ipsum postea retractavit. En verba S. Bonaventurae (ibid. ad. 1.): " Ad illud quod obiicitur in contrarium, dicendum, quod Augustinus non dixit hoc asserendo, sed ratiocinando et coniecturando; unde et illud retractavit in libro *Retractationum secundo* (c. 24. n. 2.) dicens: " Magis mihi videtur dicere debuisse de inferis, quod sub terra sint, quam rationem reddidisse, cur sub terris esse creduntur, quasi non ita sit „. [1])

f) In 4. *Sent.* d. 44. p. 2. a. 2. q. 1. movetur quaestio: " Utrum ignis inferni sit verus ignis „. — Cui Seraphicus, contra eos qui existimabant ignem infernalem esse mere metaphoricum sive spiritualem, respondet (ibid. in corp.) iuxta communem opinionem, " quod ignis infernalis sit *corporalis* „ et " si quis non adducat fortiores rationes, non compellimur ponere, ignem infernalem esse *diversae naturae et speciei* ab igne, qui apud nos est ... Si tamen loquamur de proprietatibus *accidentalibus,* quae non variant speciem, sed operationem; ille ignis habet diversas proprietates ab isto „. Seu, ut clarius rem definit cl. Hurter (*Tract. de Deo Consum.* ed. 10. n. 651.): " Id videtur defendendum, quo vere ignis dici possit, eum esse aliquid externum, physicum, corporale, non mere internum, morale, spirituale, illudque producere dolorem qualem verus ignis solet producere „.

Seraphicus aegre ferebat S. Augustinum huic doctrinae videri et haberi contrarium. Hinc ostendere nititur, mentem S. Augustini aliam non esse a communi

[1]) Textus originalis ita sonat: " In duodecimo (l. *super Genesim)* de inferis, magis mihi videor docere debuisse, quod sub terris sint, quam rationem reddere cur sub terris esse credantur, sive dicantur, quasi non ita sit. „

opinione, eiusque doctrinam communi sententiae conformem esse. Hoc fecit Seraphicus tripliciter : I. notando quod hanc quaestionem (in l. 22. *de Civitate Dei* c. 16) " doctor praecipuus Augustinus (non) explicat, sed magis relinquit insolutam, dicens, quod „ nulli manifestum est, cuiusmodi sit ille ignis, nisi ei cui divinus Spiritus ostendit „. — II. Quoad autem illum S. Augustini textum, qui hac in re petra scandali videri poterat, nempe (lib. 12 *super Genesim ad litt.* c. 32. n. 61.): " Est prorsus inferior substantia, sed eam *spiritualem, non corporalem* arbitror „, quem textum Seraphicus adducit, ibid. opp. 5. ; quoad istum textum, inquam, Seraphicus statim admonet, ipsum fuisse retractatum a S. Augustino implicite in retractatione a nobis supra relata sub litt. *e)*.

En verba S. Bonav. (ibid. ad 5) : " Ad illud, quod obiicitur de verbis Augustini, dicendum est, illud esse retractatum, sicut et de loco infernali, ubi dicitur, quod est locus spiritualis non corporalis ; sic in proposito intelligendum est, quod infernalis ignis corporali est et sub terra est. „ — III. Seraphicus ut melius stabiliret, S. Augustinum non dissentire a doctrina communi, ad id recurrit, quod habetur in lib. 21. *de Civitate Dei* cap. 2. seq., ex quo loco clarius resultat, S. Augustinum tenere corporalem esse ignem inferni. En verba S. Bonaventurae (ibidem in corp.): "Huic opinioni (quae tenet corporalem esse ignem inferni) satis videtur consonare Angustinus vigesimo primo *de Civitate Dei,* ubi inquirit, quomodo ille ignis vere habeat naturam ignis, et tamen non consumat corpora, in quae agit etc. „

g) In 2. *Sent.* d. 18. a. 2. q. 3. quaestio movetur de origine animae humanae : " Utrum anima rationalis sit ex traduce „. — Cui quaestioni Seraphicus respon-

det dicens (ibid. in corp.) : " Modus dicendi catholicus et verus est, quod animae non seminantur, sed formatis corporibus a Deo creantur et creando infunduntur et infundendo producuntur „. Huic sententiae opponitur *traducianismus*, quem ita describit Seraphicus (ibid. in corp.): " Est alius modus dicendi, quod animarum productio est per *traductionem*, ut anima traducatur ex anima, sicut caro ex carne ; et sicut ab una candela accenduntur multae, sic ab una anima per sui multiplicationem absque diminutione vivificentur multa corpora „. — Traducianismum damnat Seraphicus passim, et in fundamento 4. (l. c.) eum impossibilem ostendit dicens : " Si anima est ex traduce aut ergo anima est *ex carne*, aut anima *ex anima*. — Ex *carne* esse non potest, quoniam impossibile est, ex corpore fieri non corpus ; anima autem est non-corpus, sicut multipliciter probat philosophus et *Augustinus* [1]). Si ex *anima* aut ergo ex *toto*, aut ex *parte*. Ex *parte* non, quia anima est simplex ; si ex *toto* : ergo cum aliquis generat aliquem, cum det ei totam animam suam, desinit habere animam, et sic desinit vivere. Quod si hoc est manifeste falsum, patet etc. „

Explicato traducianismo statim observat seraphicus, ad quam partem se teneat magister eius Augustinus. Vellet ipse Augustinum invenire omnino traducianismo contrarium ; ast econtra primo aspectu eum invenit dubium. Non abscondit hoc Seraphicus, sed potius amore

---

[1]) Id probat Augustinus *de Immortalitate animae* c. 10. n. 17. seqq., de *Quantitate animae*, c. 18. n. 32. seqq. ; l. I. *de Anima et eius origine*, c. 5. n. 5. et IV. c. 12. n. 18, seqq. ; VII. *de Genesi* ad Litt. c. 12. n. 18. seqq. et X. c. 24. n. 40. seqq., ubi impugnat Tertullianum, qui putabat, Deum et animam esse corpus. — Cfr. PP. *Quaracchianos* 2. Sent., pag. 452, *nota* 5.

veritatis id fatetur, dicens (ibid. in corp.): " Et de hoc aliquando dubitaverunt catholici tractatores et *Augustinus maxime*, qui sicut patet in libro super *Genesim ad Litteram,* et in libro de *Libero Arbitrio,* et in libro *Retractationum,* [1]) ubi etiam dicit, quod non potuit pervenire ad certitudinem istius quaestionis„. — Ast quamvis toties Augustinus se dubium declaraverit circa doctrinam generatianismi, maximo tamen cum gaudio adinvenit Seraphicus viam, qua honorem Augustini salvare queat, eumque in favorem *creatianismi* citare, et hoc quidem virtute apertae retractationis ipsius Augustini, quam ipsemet Seraphicus lubenti animo statim in medium profert dicens (ibid. in corp.): " Veruntamen ipse Augustinus hanc positionem (traducianismi) expresse reprehendit in libro *de Ecclesiasticis Dogmatibus* et ipse istum eundem modum improbat super *Genesim ad litteram* [2]) „. Aliud argumentum ad Augustinum contra traducianistas defendendum invenit Seraphicus in eo, quod ille rationem, generatianismi impossibilitatem ostendentem, approbet. Postquam enim Seraphicus (ibid. ad 5) differentiam inter animam bruti et hominis statuisset, et rationem assignasset, cur illa sit traducibilis,

---

[1]) Cfr. l. X. de *Genesi ad litt.* c. 6. n. 9 seqq. — Lib. III *de lib. Arbitrio* c. 21. n. 59. et 62. — Lib. I, *Retractat.* c. 1. n. 3. Cfr. etiam *Epist.* 166. (alias 28), et 190. (alias 157); III. *De peccatorum meritis et remis.* c. 10. n. 18.

[2]) Liber *de Ecclesiasticis Dogmatibus* non est S. Augustini, cfr. infra Tabulam II. *opera spuria* n. 8, *nota* 1. — Locus citatus ex lib. *super Genesim ad litt.* invenitur in lib. X. c. 18. n. 32. Etiam Petrus a Tarant. 2, Sent. d. 18. q. 2. a. 2. postquam notasset, quod " circa quaestionem hanc egregius Doctor Augustinus diu inter opiniones quatuor fluctuavit „, asserit, quod " ipse idem (Augustinus) postmodum unam ex iis (opinionibus), scilicet (eam quae docet, eas (animas) in singulis corporibus nascentium novas creari,

non vero ista, quod totum ipse paucis verbis ita exprimit: "Dicendum quod non est simile (de anima bruti et anima rationali), quia anima bruti, cum sit forma tantum et forma corruptibilis, potest de *potentia materiae* educi; anima vero rationalis, cum sit *hoc aliquid* et incorruptibilis nec educatur de materia *praeiacente,* necesse est, eam ex nihilo educi et ita creari „, statim Seraphicus continuat dicens: " Quod autem non possit produci (anima rationalis) ex materia praeiacenti multipliciter *ostendit Augustinus* super *Genesim ad litteram* libro septimo (c. 6. n. 9. seqq.), quod illa materia praeexistens nec possit esse corporalis nec spiritualis „.

h) In 2. *Sent.* d. 33. a. 3. q. 1. ponit Seraphicus quaestionem de statu parvulorum decedentium in solo originali scilicet: " Utrum parvuli decedentes in solo originali puniantur poena ignis materialis „. — Seraph. (ibid. in corp.) statim notat, " quod hic duplex est opinio „, quarum una affirmat, altera vero negat. *Opinionem affirmativam* ita exponit S. Bonav. (ib. in corp.): " Quidam attendentes rigorem divinae justitiae ac sententiae, qua Deus hominem pro uno modico mortali, in quo momentanea et quasi nulla fuit delectatio, cruciat

---

elegit et tenendam definivit „. — Observandum est tamen, *S. Bonaventuram* et *Petrum a Tarantasio* ita sensisse de mente Augustini, secutos doctrinam lib. *de Ecclesiasticis Dogmatibus,* quae a Magistro Petro Lombardo in cit. d. 18. c. 7. affertur. Sed cum certo constet, eum librum non esse Augustini, illamque doctrinam de animae creatione ab Augustino in suis libris traditam non inveniri, verius existimandum est id, quod ad rem dicit cl. *Hurter* (tom. 2. n. 280. ed 10.), nempe: " Augustinus favebat quidem sententiae de animarum creatione, sed propter difficultatem explicandae transfusionis peccati originalis, ab ea *indubie* amplectenda retinebatur „.

aeternaliter : dicunt, quod parvuli cremabuntur igne materiali longe tamen minus quam illi qui peccaverunt peccato actuali „. — *Opinionem* vero *negativam* ita describit et laudat idem Seraphicus (ibid. in corp.): "Sed cum valde durum illud dicere videatur, quod Deus tam dure et tam aspere agat cum parvulis sic decedentibus, qui omnino non potuerunt vitare nec mortem culpae nec mortem naturae, praesertim cum videamus, Deum cum impiissimis et sceleratissimis peccatoribus in multis misericorditer agere; ideo est alia positio mitior quae magis concordat pietati fidei et iudicio rationis, quod, quia parvuli decedentes cum originali carent iustitia et Spiritus sancti gratia, quae est pignus haereditatis aeternae, privantur in aeternum visione Dei; quia vero in carne fuit foeditas, ideo ponuntur in loco vili, utpote *infernali* [1]); sed quia non habuerunt in se actualem delectationem peccati, nec in spiritu nec in carne, ideo non sentiunt poenae ignis acerbitatem „.

Pro qua sententia stat Augustinus?... Utinam ita non esset, sed eius verba satis clare indicant ipsum inclinare ad primam sententiam; hinc propugnatores illius sententiae auctoritati praesertim S. Augustini nituntur; quod et Seraphicus candide fatetur (ibid. in corp.), dicens: " Et hoc dicunt sensisse Augustinum, cum dixit

[1]) Alibi clarius determinat Seraphicus, locum, in quo ponuntur huiusmodi parvuli, esse *limbum,* qui est " locus *inferior,* in quo quis punitur poena damni .... Et in hunc (locum) descendebant ante Christi adventum sancti *Patres,* et descendunt nunc parvuli non baptizati „ 4. *Sent.* d. 45. a. 1. c. 1. in corp. Datur tamen aliqua distinctio inter limbum *Patrum* et *parvulorum,* et ideo Seraphicus ibidem continuat, dicens: " Sed attendendum, quod *Patres,* fuerunt in parte *superiori* et *parvuli* in parte *inferiori.* Et ratio huius est, quia *isti* habent carentiam visionis sine expectatione, illi habebant cum expectatione „.

in *Enchiridio* [1]) „ poenam parvulorum esse mitissimam " et in libro *de Fide ad Petrum*: " Parvul cruciabuntur aeterno supplicio „. *Mitissimam* enim illam vocat poenam non absolute, sed respectu aliorum „.

Seraphico Doctori non parum dolet divum Augustinum inter patronos illius durae sententiae, scilicet inter *tortores parvulorum* adnumeratum, reperire. — Ast pius ac ingeniosus eius animus viam iam exquisivit, qua Magistrum suum quantulumcumque excusare queat; et quidem a nullo non laudanda est industria ac subtilitas ingenii, qua hac vice usus est Seraphicus, ut honorem Augustini in tuto poneret. — Hoc praestat Seraphicus ibidem ad 1. et 2., ubi ait: " Ad illud in contrarium de verbis Augustini, dicendum, quod Augustinus in verbis illis non intendit dicere, quod parvuli sensibiliter crucientur; sed intendit eorum poenam manifestare quantum ad carentiam visionis Dei et quantum etiam ad vilitatem loci. *Et hoc valde abundanter exprimit, plus dicens et minus volens intelligi.* Nec sine causa loquitur sic. Hoc enim facit ad extirpandam illam haeresin, quae dicebat, parvulos nulla poena puniri. Unde sicut in moribus documentum est, quod qui vult ab uno extremorum pervenire ad medium, quasi debet declinare ad aliud extremum, sicut docet philosophus [2])

---

[1]) Cfr. c. 93. n. 23. ex quo loco textum retulit Seraphicus, qui habetur in l. c. fund. I. — Quoad locum citatum ex libro *de Fide ad Petrum* cfr. c. 27. n. 70. et c. 3. n. 36; textus integri afferuntur a Seraphico l. c. fund. 1. et 2. — Observandum est, citatum lib. *de Fide ad Petrum* non esse Augustini, ad rem cfr. infra *Tabulam* II. opera *spuria* S. Augustini, n. 5, *nota* 2.

[2]) Lib II. *Ethic.* c. ult., ubi ad propositum illustrandum in exemplum adducit eos " qui ligna distorta dirigunt „, qui scilicet ea dum dirigere volunt, in partem oppositam torquent, quo facto ligna ad medium reducuntur.

sic etiam beatus *Augustinus,* ut illam haeresim (Pelagianorum) exstirparet, quae dicebat parvulos ab *omni* poena immunes, et ad medium reduceret, videlicet ad poenam carentiae visionis Dei, simpliciter asseruit, eos cum aliis peccatoribus aeternaliter damnari. Istum autem suum intellectum explanavit in Enchiridio, ubi dixit, poenam eorum esse mitissimam „. — Eodem modo Seraphicus excusat Augustinum in Brev. p. 3. c. 5. in fine, ubi ait: " Originali peccato non debetur post hanc vitam *poena sensus* in gehenna, pro eo quod non supra condignum, sed citra punit divina iustitia, quam semper comitatur superabundans misericordia. — Hoc credendum est sensisse beatum Augustinum, licet verba eius exterius propter detestationem erroris Pelagianorum, qui aliqualem felicitatem eis concedebant, aliud sonare videantur. Ut enim eos reduceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum „.

i) In 3. *Sent.* d. 3. p. 1. a. 2. q. 3. agitur *de impeccabilitate B. V. Mariae,* de qua haec statuit Seraphicus (ibid. in corp.): " Dicendum, quod in secunda sanctificatione [1]) non tantum fuit data Virgini gratia sanctificans, sed etiam gratia in bono confirmans; et hoc quia Filio suo adeo fuit coniuncta, ut nullo modo permit-

[1]) Ut facilius intelligatur id quod hoc loco docet Seraphicus *de secunda sanctificatione,* notandum venit quod ad rem animadvertunt *PP. Quaracchiani* 3. Sent. pag. 76. *Scholion,* nempe: Supponitur hic antiqua et communis distinctio inter *primam* sanctificationem B. Virginis, quae secundum omnes antiquos facta est saltem ante nativitatem ex utero, et *secundam,* quae fuit in ipsa Verbi incarnatione. Antequam doctrina, quae defendit immaculatam Virginis Conceptionem, invaluit, *secundae* sanctificationi aliqui speciales effectus communiter attribuebantur, ita ut inter utramque formalis quaedam differentia statueretur: nunc autem communius docetur, easdem nonnisi secundum gradus efficaciae inter se differre.

teret, eam a se ipso sequestrari. — Cum Sanctum Sanctorum gestavit in utero suo, tunc sanctificata fuit conformiter Filio suo, non tantum quantum ad potentiam ad peccatum (vitandum), sed etiam quantum ad impossibilitatem labendi in aliquod peccatum. Unde sicut impossibile fuit propter honorem Filii sui, ut alium haberet filium; sic impossibile fuit, ut unquam ulterius haberet peccatum. Sicut etiam impossibile fuit ut carnis virginitas violaretur, in qua Filius Dei habitaverat; sic impossibile fuit, ut mentis sanctitas aliqua culpa macularetur. — Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod beata Virgo Maria post Filii Dei conceptionem peccare non potuit, non propter alicuius potentiae amissionem, sed propter potentiae confirmationem et defectus ablationem „.

Contra hanc doctrinam citatur (ibid. opp. 2.) textus ex libro *Quaestiones novi et veteris Testamenti* (q. 73.) S. Augustino tributo excerptus, qui ita sonat: " Quod adiecit (Simeon), dicens: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes,* hoc utique significavit, quia, **etiam Maria,** per quam gestum est Mysterium incarnationis Salvatoris, **in morte Domini dubitaret,** ita tamen ut resurrectionis honore et virtute Domini firmaretur „. Haec verba quam male sonent, non est qui non intelligat; ex his enim verbis haec contra B. V. Mariae impeccabilitatem inferri potest, nempe; " .... si ergo, postquam genuit Filium Dei, potuit dubitare in fide, *potuit peccare* „. Quae illatio sicut ex una parte B. V. Mariae impeccabilitati officit, ita alia ex parte in dedecus redundat S. Augustini, cum ortum habeat ex verbis eidem tributis. Hinc Seraphicus et reverentia erga Augustinum et amore erga Virginem motus, totam vim illius argo-

gumenti infringere studuit, ita ut nec in S. Augustini nec in B. V. Mariae dedecus amplius redundare possit. Quod dupliciter obtinet: I. declarando illud opus esse dubium — II. exponendo sensum, quo ille textus intelligi potest absque ulla iniuria ac offensa Virginis eiusque impeccabilitatis. Hoc praestitit S. Doctor ibidem ad 2. dicens: " Ad illud quod obiicitur de auctoritate *Quaestionum novi et veteris Testamenti,* quod beata Virgo dubitavit; dicendum, quod *non constat, illum librum esse Augustini* [1]), propter hoc quod multa ibi sunt, quae non videntur esse verba Augustini. — Veruntamen, ne fugam petere videamur, dici potest, quod est dubitatio proveniens *ex fidei debilitate* et est quaedam dubitatio proveniens ex *admirationis immensitate,* qua dicitur homo dubitare, cum exstupescit et quasi fit totus extra se ex intuitu rei admirabilis. Et hoc modo intelligendum est, Virginem dubitasse, *non propter defectum fidei* [2]). Indubitanter enim credendum est, quod Virgo Maria semper stetit, unde in ea fides sibi invenit solidum fundamentum. Unde discipulis non credentibus et dubitantibus, ipsa fuit, in qua fides Ecclesiae remanserat solida et inconcussa; et ideo in die sabbati in honorem eius solemnizat omnis Ecclesia „.

j) In 2. *Sent.* d. 23. a. 2. q. 3. in corp. Seraphicus defendit Augustinum contra *Ontologos,* seu contra eos qui docent Deum cognosci et videri *immediate* ab homine etiam in hac vita. — Occasione enim quaestionis de cognitione, quam Adam habebat de Deo in statu innocentiae, quae pertractatur l. c., loquitur Seraphicus

---

[1]) Cfr. infra Tabulam II. *Opera spuria* n. 2. *nota* 1.

[2]) Eodem fere modo Ss. Patres stuporem explicant, quo invasa B. Virgo in verba prorupit: *Quomodo fiet istud* etc.: ita PP. Quaracchiani l. c. S. Bonaventurae pag. 78. *nota* 2.

etiam *generaliter* de ratione cognoscendi Deum. Demonstrata veritate *de visione immediata Dei in patria,* transit ad cognitionem, quam homo habet de Deo in via; et statim refert ad rem doctrinam erroneam quorundam (quae postea renovata est ab ontologis), quorum „ modus dicendi est, quod Deus a purgatis mentibus non solum *in patria,* sed etiam in statu *innocentiae* et in statu *viae* in se ipso videri habet; nec est differentia nisi in gradu, quod clarius et perfectius in statu *gloriae* videbitur, et minus perfecte in statu *innocentiae,* et minime (idest minimo gradu) in statu naturae lapsae „. Hanc doctrinam antiqui et moderni Ontologi etiam S. Augustino imponere ausi sunt, ut fatetur Seraphicus ibidem, dicens: " Hanc autem suam positionem *ex auctoritatibus Augustini eliciunt,* qui dicit in pluribus locis in libro *de Trinitate,* quod etiam in praesenti vita notiorem potest homo habere Deum, quam fratrem, et hoc in libro octavo (c. 8. n. 12); et alibi (lib. 1. *de Trinit.* c. 2. n. 4.) dicit, quod " a purgatissimis mentibus *cernitur* „. Docet etiam in libro octavo (ibid. c. 2. n. 3. seqq.), per *contuitum* veritatis et bonitatis *intueri Deum.*

Seraphicus pati non potest, ut S. Augustinus pro hac erronea sententia citetur, eiusque doctrina adeo male exponatur, propterea, postquam praefatam sententiam damnasset, dicens: " Sed haec positio .... dictis Sanctorum non consonat ... Et communiter doctores in hoc (idest in damnanda illa sententia) concordant, intelligentes illud quod dicit Apostolus (Epist. II. ad Cor. 5. 6.), quod *quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino et per fidem ambulamus,* non per speciem „ — statim ad ipsius Augustini defensionem transit dicens: " Unde si quae auctoritates (ut sunt

illae Augustini) id dicere inveniantur, quod Deus in praesenti ab homine videtur et cernitur, non sunt intelligendae, quod videtur in sua *essentia,* sed quod in aliquo *effectu interiori* cognoscitur; nisi fortassis in his qui rapiuntur, sicut credimus fuisse in Paulo (II. ad Cor. 12. 2. seqq.), qui specialitate privilegii statum viatorum supergrediuntur „.

l) In 2. *Sent.* d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. occurrit quaestio *de tempore lapsus Angelorum,* nempe: " Utrum Angelus *in primo instanti suae creationis* fuerit malus propria voluntate „. — In hac quaestione solvenda duae sunt opiniones, ut notat Seraphicus (ibid. in corp.). **Una** " antiqua positio fuit aliquorum, quod *simul tempore* fuit diabolus et peccavit, nec unquam fuit nisi malus „. **Altera** " communis opinio magistrorum Parisiensium est, quod duratione conditio Angeli praecessit lapsum; et de communi consilio magistrorum positio opposita excommunicata est ab episcopo Parisiensi [1]) „. Seraphicus hanc *alteram* profitetur sententiam, dicens (ibid. in corp.): " Ideo tanquam magis veram et catholicam, et magis probabilem et communem opinionem dico illam esse tenendam, quod morula fuit inter creationem et lapsum, licet parvula „.

In quam autem sententiam propendet S. Augustinus? — Seraphicus ante omnia candide fatetur (ibid. in corp.): " videtur Augustinus illam (idest *primam* sententiam) approbare super. *Genesim ad litt.* (lib. XI. c. 19. seqq.)„ et hoc praesertim in illo textu (lib. XI. c.

---

[1]) Est *quintus* " de decem, articulis, reprobatis ab universitate magistrorum Parisiensium tempore Episcopi Gulielmi et Odonis Cancellarii et fratris Alexandri de Hales, patris et magistri nostri „. Ita Seraphicus 2. d. 23. a. 2. q. 3. in fine, ubi etiam elenchum horum decem articulorum exhibet.

16. n. 21.) docere videtur, quem Seraphicus adducit in opp. 1. ibidem, nempe: "Non frustra putari potest, *in initio temporis* diabulum superbia cecidisse, *nec fuisse ullum antea tempus,* quo cum Angelis sanctis pacatus vixerit et beatus, sed *in ipso primordio creaturae a suo Creatore apostatasse* „. — Ast ita ne est revera? Minime gentium; et iam Seraphicus adinvenit viam rectam, qua divum Augustinum ab omni suspicione illius erroneae doctrinae [1]) purgare possit. Et primo quidem provocat Seraphicus ad doctrinam ipsius Augustini lib. undecimo *de Civitate Dei* (c. 15.), ubi illa sententia *expresse respuitur* illis verbis: "Et illud, *quod ab initio diabulus peccat,* **non ab initio, ex quo creatus est,** *peccare putandus est;* sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia coeperit esse peccatum „. — Ut autem magis magisque doctrina Augustini recta ac sana appareat, studet Seraphicus duras illas expressiones, quae in praerelato textu ex undecimo lib. *super Genesim ad litt.* excerpto, emollire. Ad hoc valde ingeniose in memoriam revocat Seraphicus illud commune adagium — modicum quasi pro nihilo reputatur — quod ipse ad rem opportune adaptat. Postquam enim statuisset, "quod *morula* fuit inter creationem et lapsum, licet *parvula* „, statim subiungit: "Propter quam *(parvulam morulam)* Sancti (ut Augustinus in cit. l. lib. XI. *super Gen. ad*

---

[1]) Sententia illa, quod *simul tempore fuit diabolus et peccavit, nec unquam fuit nisi malus,* dicitur a Seraphico ibidem *quasi haeresim sapiens,* quia, ut ipse observat « praedicta positio accedit ad (aliam doctrinam), quae est haeretica „, et de qua ipse agit ibidem q. 1. nempe: quod *diabolus fuerit a Deo malus conditus;* haec enim doctrina damnata est in Conc. Lat. IV. cap. *Firmiter,* ubi dicitur: "Diabolus et alii doemones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.

litt.) et expositores et ipsa Scriptura loquitur de malitia diaboli, quasi semper fuisset in ea, quia illud modicum (parvula morula) quasi pro nihilo reputatur „. Hoc adagium applicat statim Seraphicus in responsione ad 1. opp., dicens: " Ex hoc patet responsio ad primum, quia, ut dicit Augustinus, sensus est: *diabulus ab initio peccat* (Ioann. Epist. I. 3. 8.), id est statim post initium „. — Haec responsio dum explicat sensum illius textus S. Scripturae, explicat etiam pari tempore modum loquendi ipsius Augustini, qui nonnisi eiusdem repetitio est, et quasi eiusdem sonus repercussio. — Quod si alicui, his quae hactenus dicta sunt non obstantibus, aliqua difficultas adhuc remaneat ad recognoscendum Augustinum omnino alienum ab illa erronea doctrina propter duras expressiones, quae in praecitato textu lib. super Genesim occurrunt, tunc *Seraphicus* absoluto modo respondet, dicens (ibidem ad 2.): " Ad illud quod obiicitur de Augustino, **dico,** quod dicit secundum *alienam opinionem* [1]); quod patet, quia (ubi propriam opinionem exponit) contrarium dicit (ut) undecimo *de Civitate Dei* „[2]). Et hoc modo os claudit omnibus, qui hac in re de pura et sana doctrina S. Augustini suspicari auderent.

Haec, quae attulimus, multaque alia [3]), quae brevitatis gratia praetermittimus, exempla luce meridiana

---

[1]) Quod patet etiam ex modo loquendi a S. Augustino adhibito v. g. lib. XI. *super Genesim ad Litt.* c. 23. n. 3. ubi legitur: " Quod ergo **putabatur** (nempe a quibusdam) nunquam diabolus in veritate stetisse,... sed ab ipso suae conditionis initio cecidisse, non sic accipiendum est „ etc. — Et in textu suprarelato XI. lib. *de Gen. ad Litt.* c. 16. n. 21., dicitur: " Non frustra **putari potest** etc.

[2]) Cap. 15. ex quo loco textum supra adductum excerpsimus.

[3]) Cfr. 1. *Sent.* d. 37. p. 2. a. 2. q. 2. ad 1. — 2. *Sent.* d. 7. dub. 4. — 2. *Sent.* 17. a. 2. q. 2. in corp. — 4. *Sent.* d. 21. p. 1. a. 2. q. 2. etc.

jam clarius manifestant, quanto zelo Seraphicus Doctor honorem S. Augustini defensare nunquam non studuerit, quanta etiam fidelitate erga Augustinum illam sapientissimam regulam, quam etiam aliis praescripserat (cfr. *Opera omnia* S. Bonav. Tom. 10. pag. 33. col. 1.), observaverit, nempe: " Non decet, iuniores antiquorum aspernari sententias, sed humiliter venerari et *fideliter explicare;* quia non est credendum, quod *magni amatores* et *inquisitores veritatis* celebres positiones suas dixerint sine causa. In omnibus autem dictis praecipue *causa* dicendi consideranda est. Nam quod superficialiter videtur falsum, frequenter invenitur verum, cum pertingitur ad intentionem dicentium „.

CAPUT III.

S. Bonaventura, quoad fieri potuit, semper Augustini doctrinis fideliter adhaeret; si vero aliquando ei contingat, ut ab eius sententia discedat, id ipse facit non nisi modo reverentia pleno erga eundem S. Augustinum.

§ 1.

Qua fidelitate Seraphicus adhaereat doctrinis S. Augustini.

Ut autem cuique pateat, quanta fidelitate Seraphicus Doctor divo Augustino adhaeserit, illud in primis attendendum venit, ipsum scilicet non modo in iis secutum fuisse Augustinum, quae vel ad fidem pertinent vel maioris sunt momenti in re theologica, et in quibus nulla potest esse inter catholicos tractatores discrepantia, sed etiam in doctrinis minoris momenti, immo et in iis sententiis, in quibus ipsemet Augustinus a multis relinquitur. Et hoc quidem satis clare testantur ipsi *PP. Quaracchiani,* qui in Dissertatione I. *de scriptis S. Bonaventurae* (p. 3. c. 1. n. 1. et 2. cfr. vol. 10) ad rem ita scribunt: Post medium saeculi XIII. "orta est quaedam in scholis innovatio et etiam controversia inter eos qui sequebantur vexillum S. Augustini, et eos qui praeponebant aliquatenus Aristotelem... tamen (S. Bonaventura) *fidelis S. Augustini assecla semper mansit et doctrinam Augustinianam... semper defendit* „.

Nec quisquam putet, Seraphicum doctorem ob eam

tantum rationem Augustinum praetulisse, quia tunc temporis eiusdem auctoritas principatum gerebat in scholis; nam huius rei alia et quidem altior ac nobilior fuit ratio, quae divum Bonaventuram inter ceteros Augustini discipulos singulari modo commendat atque extollit. Hanc rationem sapientissime nobis notandam proponunt laudati *PP. Quaracchiani* (l. c. n. 2.) his verbis: " Magna etiam ratio adhaerendi Augustino erat ingenii innata facultas et proclivitas et quaedam cum Platone et Augustino congruens animi dispositio, quae ipsum magis fecit propendere ad *synthesim Augustini* quam ad analysim Aristotelis „ [1]). Haec Seraphici cum Augustino congruens animi dispositio vel inde manifesta fit, quod, ut notant iidem *PP. Quaracchiani* (l. c. n. 7.), S. Bonaventura, ad divina erectus, *etiam in modo loquendi sequitur*

[1]) Ex hac eadem ratione orta est etiam differentia illa, quae adeo clare elucet inter *S. Bonaventuram* et *S. Thomam,* quamque hoc modo describunt *PP. Quaracchiani* l. c. n. 7.: " Licet duo illi summi Doctores conveniant in principiis et etiam in plerisque conclusionibus specialibus et omnia studia ad unum summum bonum dirigant; nihilominus unusquisque propriam indolem propriumque charisma habere dignoscitur. Quae quidem utriusque indoles aliquatenus insinuat duas illas vitae intellectualis proprietates et ingenii connaturales characteres. Intellectus enim vel se convertit ad rerum *creatarum formas* earumque conceptus clare exprimere et inde per analysim ad generaliora ascendere nititur; vel ad superiora conversus et ad ideas transcendentales, ipsam veritatem primam et infinitam attingere nititur, quae licet in se sit incomprehensibilis, est tamen ratio omnium rerum, quae ab intellectu nosci et comprehendi possunt. Hae naturales proprietates, si una, exclusa alia, excolitur, efficiunt hominem aut intellectu ieiunium aridumque, aut e contrario res ideales, ut vocant, magis phantasia quam ratione persequentem. Modo eminenti has proprietates praeseferunt Aristoteles et Plato et non sine quodam defectu; unde et in diversas partes abierunt. In *S. Thoma* vero et *Bonaventura,* quorum mentes altiore fidei

S. Augustinum, adeo ut in viro scholastico passim etiam mysticus theologus se prodat, dum legentem ad gustum veritatis allicere contendit.

